

## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodiêre

Complectens Santos Mensivm Septembris Et Octobris

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10262**

De S. Lutrade virgine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77413)

VITA S. LVTRVDIS VIRGINIS SANCTIMO-  
NIALIS, EXCERPTA, VT OPINOR, EX EA, QVAM  
scripsit Theodoricus Episcopus Treuirenſis circa Annum Christi 950.  
Non enim puto fuisse ab eo tam breuiter conscriptam.

22. Septēb.  
Patria & pa-  
rētes S. Lu-  
trudis.

Vita eius  
austeritas.

It Romam.

Puellā mo-  
ribundam  
fanat.

Semper an-  
tiq̄tas ma-  
gno in pre-  
cio habuit  
facias reli-  
quias  
Nota vita  
duriacem.

S. Pusiana.

Felix obitus  
S. Lutrudis.



EATA Lutrudis in Gallia pago Partensi Catalaunensis dioecesis claris orta parentibus, patre videlicet Sigmario, matre æquè Lutrade, bonis & Deo deuotis: vnā cum sex suis sororibus in lege Domini per Eugenium sacerdotem sanctum edocta, & demū per Alpinum Catalaunensem Episcopum, sumpto velamine, virgo Domino consecrata est. Cui pater moriens, quia eam præ ceteris dilexerat, locum solitarium, quem ei in quadam monte preparauerat, assignauit. In quo quām auferre & quām sancte vixerit, vix posset lingua referre. Habebat autem in omnibus præfatum Eugenium presbyterum confortatorem & excitatorem ad bona opera & laudes Domini spiritalem. Cum quo etiam Romam orandi gratia, & vt sanctorum reliquias inde afficeret, deuota perexit. Quo cùm peruenisset, cuidam Iustinæ, famosæ sanctæ foeminae, se coniunxit: cum qua continuis insistens psalmodijs, sua sancta conuersationis odorem & opinionem latè dispersit, omnibus piæ vite se præbens exemplum.

Tribus verò mensibus sic Romæ peractis, appārens ei Angelus Domini, dixit eam reliquias, quas petebat, ibi non assecuturam: sed vt ad propria rediens, & transgressis Alpibus, ad martyrium beati Mauricij diuertens, eius reliquias obtineret, atq; eas in locum paternum deferens, basilicam in honorem beati Mauricij construeret. Narrata igitur visione S. Eugenio, manè iter arripuerunt: & cùm ad urbem Ravennatum peruenissent, & in domo cuiusdam ciuis, filiam viuicam habentis, per id tempus infirmam, & ferè iam mortuam ac voce triduo destitutam, hospitio recepti essent, beata Lutrudis precibus matris mota, accessit ad lectulum puellæ, & eam, oratione præmissa, manu apprehendens, sanam erexit. Quæ tantum miraculum in se experta, roganit S. Lutrudem, vt sacrum velame sibi imponeret, secumq; cunctis diebus manere permetteret. Sancta autem primum concessit: alterum verò, propter multam iuuenculæ pulchritudinem, nè periclitaretur, non admisit. Deduxerunt tamen parentes cum familia sanctam Lutrudem usque ad proximam ciuitatem.

Quibus dimissis, peruenit ad optatum monasterium S. Mauricij: ubi à custode Georgio, castitatis opinione admirabili, cum omnibus suis omni humanitatis studio suscepta est, cui etiam virgo angelicam retulit visionem, pignora sibi S. Mauricij promittentem. Custos itaque visionem à Deo fuisse percipiens, virginis beata conficiens sanitatis, ei petitis obtulit deuotè reliquias. Quas illa cum magno gaudio suscipiens, in locum paternum absportauit, atque super eas decentē construens ecclesiam, eam per proprium Episcopum in honorem beati Mauricij curauit dedicari. Cui basilica h̄erentem sibi condidit cellulam, in qua die noctuq; Domino seruens, hostiam viuam sc̄ ei iugiter exhibebat. Proprios enim redditus pauperibus tribuens, cilicio vestita, panem hordeaceum tantum cum aqua sumebat, semel duntaxat, aut bis in hebdomada reficiens.

Per idem tempus Pusinna, soror virginis, quæ in vico Basionensi floruerat, ad mortem ægotabat. Quod cùm beatę Lutruđi nunciatum fuisset, putà sororem eius in extremis agere, tota nocte orans obtinuit à Domino, vt non migraret à corpore, donèc eam videre mereretur. Manè igitur assumpto beato Eugenio, perexit ad sororem, & inuenit eam iam per quinque dies sine voce iacentem. Ilicò autem redditia est ei loqua: & cùm Domino gratias retulisset, post sancta colloquia, inter mutuos amplectus sororum & oscula, Pusinna feliciter expirauit. Beata verò Lutrudis, expletis de more sororis exequijs, rediens ad propriam cellam, & de bono in melius semper proficiens, cùm tempus suæ vocationis adesset, plena dierum & sanitatis sublimis, misericordia ad Dominum ipsa dic, qua passus est beatus Mauricius: & sepulta est in basilica, S. Lutrudis. quam ipsa, vt prædictum est, in honorem eius construxerat.

CER-